



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

IX. An, & quomodo fidelibus semel iustificatis, qui tandem non saluantur,
detur auxilium sufficiens ad salutem aeternam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

CAPV T IX.

An, & quomodo fidelibus semel iustificatis, qui tandem non saluantur, detur auxilium sufficiens ad salutem æternam.

VT veritas, quam in capite præcedenti tradidimus, magis comprehendatur, & difficultates circa illam occurrentes proponantur, & explicentur, operæpretium erit ab illa generalitate hominum, ad varios illorum ordines descendere, & quomodo singulis sufficientia auxilia conferantur, exponere. Non tractamus autem de hominibus electis, seu prædestinatis, quia illis non solum sufficiens, sed etiam efficax auxilium datur, ut cum effectu saluentur; & quamvis interdum auxilia tantum sufficientia illis conferantur, ut supra dixi, tunc non adiuuantur propriè ut prædestinati, sed secundum providentiæ rationem, ideoque quoad illam partem, eadem est ratio de illis, quæ de aliis, qui non saluantur, ac proinde quæ de his dixerimus poterant ad eos accommodari. Reliquos autem homines, qui non solum saluantur, in tres ordines distinguimus; quidam enim sunt iusti ad tempus, & interdum multo vitæ tempore, & tandem damnantur, alij sunt peccatores fidem habentes, qui vel raro, vel nunquam in ætate adulta iustificantur, alij denique sunt infideles, qui nunquam veram fidem consequuntur, inter quos etiam esse possunt varij gradus, ut postea videbimus.

2.
De quibus iustificatis sic hic sermo.

In hoc verò capite solum de iustis temporalibus, (ut sic dicam) breuiter dicendum est, isti autem si considerentur ut iusti sunt, non solum sufficiens, sed etiam efficax gratiæ auxilium recipiunt, ut constat, & ideo de illis sub hac consideratione non tractamus: ut autem in gratia non perseuerant, clarum est auxilium efficax non recipere, & ideo meritò queritur, an & quomodo auxilium sufficiens ad salutem recipiant, nam æterna salus, sine perseuerantia obtineri non potest: his autem non datur perseuerantia; ergo non datur aliquid ad salutem æternam consequendam necessarium; ergo non datur auxilium sufficiens. Dices, quando perseuerantia illis non datur, offertur, quantum est ex parte Dei, & ita ad illam accipiunt auxilium sufficiens. Sed contrà, quia perseuerantiæ donum ita est singulare prædestinato, ut neque Deus aliis illud dare voluerit, neque aliquis possit illud à Deo mereri, vel impetrare, & quo illud consequatur aliquid facere; ergo nec ex parte Dei datur, nec in potestate hominis est constitutum, ac proinde non datur istis ad perseuerandum auxilium sufficiens, quas obiectiones fecerunt olim contra Aug. Semipelagianij, contendentes ex illius doctrina sequi, magnam partem iustorum & Sanctorum ideo non saluari, quia nec perseuerantiam habent, nec habere possunt, quoniam illis à Deo denegata est, quia non sunt per gratiam à massa perditionis discreti, ut sæpius refert Prosper in obiectionibus Gallorum 3. 7. & 12. & in obiectionibus Vincent. 7. 8. 9. & 12.

3.
Omnes iusti, licet non sint prædestinati, habent auxilium sufficiens ad salutem æternam consequendam, perseuerando utique in iustitia usque ad mortem, si velint, sicut velle possunt. Probatur primò ex Scri-

ptura Prouerb. 3. In omnibus viis tuis cogita illum, & ipse diriget gressus tuos. quæ directio maximè ad perseuerandum necessaria est, & de se sufficiens: hæc autem promittitur cogitanti Deum assidue, & in lacerationibus suis actionibus auxilium eius postulanti: est ergo hoc in hominibus iusti potestate: non enim Spiritus sanctus confudit, aut præcipit nisi quod possibile est: vnde inferius subdit Sapiens, Ne paucas repentinè terrore, & irruentes tibi potentias impiorum: Dominus enim erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum ne capiaris. Quæ promissio non solum prædestinatis fit, sed omnibus, & præsertim iustis. & hoc egregiè confirmant verba Saræ Tobia 3. Hoc habet pro certo omnis, qui te colit, quod vita eius, si improbatone fuerit, coronabitur: si autem in tribulatione fuerit, liberabitur. Quod non solum de liberatione à tribulatione & pœna temporali, sed maximè de liberatione à culpa, & victoria temptationum intelligitur, non enim coronabitur qui temporalia mala superat, sed qui temptationes peccatorum vincit: ergo est in potestate iustorum collegium Deum, hæc victoria: hæc autem est perseuerantia; ergo ipsa etiam est in ipsorum potestate & libertate, quam sine auxilio sufficiente habere non possunt.

Hanc denique potestatem, & auxilium sufficiens quam plures Spiritus sancti voces ostendunt, quibus iusti non solum ad perseuerandum, sed etiam ad crescendo in gratia usque ad mortem excitantur Ecclesiastici 8. Ne percaris usque ad mortem iustificari. Apocalyp. 3. Qui iustus est iustificetur adhuc, & ad Rom. 6. Exhibete membra vestra servum iustitiæ in sanctificatione, &c. 1. Corinth. 10. Qui se exstimat stare, videat ne cadat, & ut ostendat hoc esse in eius potestate, subiungit, Fidelis Deus, qui non patitur tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentamine præuentum, ut possitis sustinere. Dat ergo Deus iustificatis sufficiens auxilium, ut non cadant, ergo ut perseuerent, nam qui non cadit, perseuerat. & ad Ephes. 6. Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias Diaboli. fidei, inquam, viux: nam mortua non sufficit ad resistendum Diabolo perseueranter, sicut inferius subdit. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. Datur ergo iustis auxilium sufficiens ad hoc perseuerandum; qui autem hoc præterierit, sine dubio saluabitur. & similia Scripturæ testimonia passim occurrunt.

Secundò traditur apertè hæc veritas à Concilio Mileu. cap. 3. definiente gratiam Dei, in qua iustificationem non ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt, sed etiam adiutorium, ut non committantur. Dat ergo gratia adiutorium sufficiens ad non peccandum in posterum, & hoc est sufficiens ad æternam salutem consequendam; & Arausic. c. 25. his verbis, Hoc secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, omnia, quæ ad salutem pertinent, possunt, & debent, si fideliter laborare velint, adimplere. quibus verbis aperte describit auxilium sufficiens, & quod de baptizatis dicit, habet eandem rationem in omnibus iustis, quocunque tempore, aut modo iustificati fuerint, quod etiam testatur Concil. Trid. sess. 6. cap. 11. ubi prius damnat dicentes, homini iustificato impossibile esse seruare præcepta, quibus ob ligatur: deinde declarat hanc potestatem, quia Deus iubendo monet facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuvat, ut possis, & paulo inferius. Qui sunt filij Dei, Christum diligunt, qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, seruant sermonem eius, quod vique cum diuino auxilio prestare possunt. Qui autem possunt seruare mandata, possunt etiam in gratia perseuerare, imò etiam & proficere, ut paulò post idem Concilium adiungit, & eandem rationem

nem suprà traditam reddit; Quia Deus neminem deserit, nisi prius deseratur ab ipso, idemque repetit agens de perseverantia cap. 17. quem locum etiam suprà explicavi: eandemque doctrinam sub anathemate definit Canon. 18. & 22.

Tertio potest hæc veritas testimonio Patrum confirmari. Augustinus enim lib. de nat. & grat. cap. 26. docet, cum Deus iustificat impium, sanare agrotum, & dare vires, ut possit perfecte operari, nec deserere illum nisi ab ipso deseratur, & reddit rationem, quia licet homo sanetur, si non iuuetur, non poterit servare mandata, seu pietatis opera exercere, in quo tacite supponit necessarium esse, ut possit, & consequenter, ut habeat auxilium sufficiens, quo possit, quia nimirum iuxta illam regulam eiusdem Augustini lib. de corrept. & grat. cap. 11. & 12. si iusto non daretur auxilium quo possit tentationem vincere, & perseverare, non ei imputaretur, etiam si cadat, vel non perseveret, sed Deo potius esset tribuendum, quod est absurdissimum, vident Augustinus docet lib. 2. de peccat. merit. cap. 17. & iuxta hæc verba Augustini refellit obiectionem, vel potius calumniam Semipelagianorum, Prosper ad 3. 7. & 12. obiectionem Gallorum, & 7. 8. 9. & 12. Vincit eandem veritatem confirmans, quod iustis non denegentur auxilia sufficientia ad perseverandum, Fulgent lib. 1. ad Monim. cap. 28. valde commendat dictum illud Augustini, ut homines non adjuventur in ipsis causis, non in Deo. Et quod nullius hominis lapsus causa sit in Deum refellenda. Unde cum Augustino sentit, per Deum non stare quominus iustus perseveret, ac proinde iustis semper dari auxilium sufficiens ad salutem. Hinc etiam dixit Leo Papa sermone 16. de passione: iugiter admonentur, ut dona gratia Dei negligent non habeamus, iuste nobis instat præcepto, qui præcurrit auxilio, & benignè incitat ad obedientiam, quia ducit ad gloriam. quæ verba maxime in iustificatis locum habent, & sufficientem gratiam qua possit ad gloriam per obedientiam præceptorum pervenire, evidenter ostendunt. Idemque confirmant verba Chrysostomi Homil. 16. ad Hebr. Habemus cooperatorem & adiutorem Deum, tantum velimus, &c. Si vero dormierimus, & stertentes spiritus intrare in celum, quando poterimus hereditatem celestem apprehendere. Est igitur hoc in iustorum potestate, ei que Deus non deest.

Ratione tandem declaratur hæc veritas. Nam in primis gratia sanctificans cum suis donis & virtutibus infusis, de se potens est ad bene operandum, & ad vincenda peccata: hanc autem gratiam habent omnes iusti, ergo ex hac parte sufficientiam habent. Aliunde vero huic gratiæ debenter auxilia actualia necessaria ad opera salutis, & maxime ad illa quæ sunt ad salutem necessaria. Duplicia enim sunt hæc auxilia excitantia & adjuvantia, ad quæ reducuntur, ut suprà visum est: neutra autem deest iustis ex parte Dei, quod in primis probatur de auxiliis adjuvantibus, quia iusti non indigent novis auxiliis, seu gratiis adjuvantibus in actu primo, quia per habitum ipsum sufficientissimè iuvantur, indigent autem auxilio Dei adjuvantis in actu secundo: hoc autem adiutorium in re ipsa non exhibetur, nisi quando quis operatur, & ideo non est necessarium ad auxilium sufficiens, sed in efficaci includitur aliquo modo: requiritur autem ut præparatum & oblatum à Deo, & hoc modo non potest deesse iustis, quia Deus de se non denegat cooperationem necessariam suis causis secundis, vnicuique iuxta modum, & capacitatem suam; ergo maxime illam præbet gratiam & habitibus infusis, & homini iusto ratione illarum, ut in sequenti libro latius ostendemus; ex hac ergo parte non deest iustis auxilium sufficiens.

De auxiliis autem excitantibus, aliqui putant non esse necessaria habentibus iam sanctificantem gratiam, & virtutes infusas, iuxta quorum sententiam sine his auxiliis habent iusti sufficiens auxilium. Alij volunt sufficere illa auxilia excitantia, quæ in mentibus fidelium insurgere possunt ex obiectis externis, quæ Deus per gratiam suam prouidet, ad fidelium mentes excitandas, ut sunt verbum Dei prædicatum vel scriptum, exempla Sanctorum, divina beneficia quotidiana, supplicia, itemque Sacramenta, vel ceremoniæ Ecclesiæ, & similia, quibus Deus cooperatur, & internam gratiam adiungit ad excitanda corda, præsertim iustorum. Nam hic modus videtur de se sufficiens, si homines iusti velint strenuè ac diligenter his mediis uti: sed licet hoc sit verum, addendum est in omni occasione & opportunitate grauis tentationis & periculi, ut, licet externa media fortasse desint, ut potest accidere, Deum tamen nunquam deesse iusto, quin interius eius mentem sufficienter excitet, quantum necesse est ad præsentem occasionem mali, seu lapsus superandam. Hanc enim Dei promissionem habemus ex verbis Pauli: Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ultra id, quod potestis, vel ergo moderabitur tentationem, vel excitabit iustum, quantum sufficiat, ut nemo possit dicere, per Deum abest, ut Ecclesiastici 15. quia, ut dicitur Proverb. 3. Dominus erit in latere tuo ne capiaris. Denique hoc est valde consentaneum diuinæ providentiæ, quam præsertim amicis suis promittit. Ad de hoc genus auxilij sufficientis ad seruanda singula præcepta, non tantum iustis tribui, sed etiam peccatoribus, ut infra videbimus, alias non peccarent transgrediendo præceptum.

Ut autem hoc generaliter intelligatur, aduertendum est, in huiusmodi opportunitate, in qua occurrit obligatio præcepti, necessarium in primis esse, ut homo sciatur & aduertat, vel naturaliter aduertere possit, se habere tale præceptum & hic, & nunc ipsum obligare. Nam si homo omnino hoc non consideret, sed naturaliter oblitus sit, quamvis omittat, non peccabit, ut constat, & ideo necessarium non est, ut tunc excitetur, nec pertinet ad providentiam gratiæ sufficientis ut Deus semper moneat ad huiusmodi considerationem, vel aduertentiam pro illo tempore, ut ex-
Homo naturaliter periculum culpæ, propter quam vitandam est ne oblitus, vel necessarium illud auxilium, similiter necessarium usus rationis non ut in tali occasione, in qua de vitando actu impeditus, cum occurrit obligatio præcepti, nec peccat, nec Deus tenetur illum feratur, quia cessat necessitas, ut declaratum excitare ad est. At vero quando ratio est apta ad deliberandum cum necessaria aduertentia ad præsentem occasionem, & obligationem seruandi præceptum, tunc dicimus nunquam deesse actuale auxilium necessarium, quia sine illo excusaretur homo à peccato, etiam si caderet, vel non seruaret præceptum: homo autem præsertim iustus, sic ratione utens, nunquam excusatur ex eo capite, quod desit illi Deus, ut probant testimonia adducta. Verum est tamen hoc auxilium ad seruandum præceptum, vel non cedendum tentationi, non semper dari immediatè sufficiens ad totum effectum, sed mediante oratione, ad quam proximè excitatur homo, quia vult Deus hominem hoc modo & Deum honorare, & ampliùs cooperari, & ideo dixerunt Augustinus & Concil. Trid. lubendo monet facere quod possis, & petere quod non possis, & hoc tandem modo

modo sufficiens auxilium ad perseverandum confert.

Et ita etiam expeditur difficultas, quæ hic oriri potest in homine lapsa ex parte concupiscentiæ, & corporis mortalis impediementis, quæ difficillimam reddunt boni operandi perseverantiam. Nam etiam ex hac parte non deest iustis auxilium sufficiens, quia hæc perseverantia, non tota simul occurrit, sed successivè, & per singulos actus, & occasiones servandi præcepta, seu non peccandi; ergo ut ex parte Dei detur, vel offeratur iusto hoc auxilium sufficiens, satis est, quod per singulas etiam occasiones, non desit tale auxilium: ostensum est autem quomodo detur in singulis, ergo simpliciter datur, vel offertur pro omnibus & pro

Datur actu gratia sufficiens in occasionibus præsentibus, pro futuris offertur à Deo.

tota perseverantia & salute. Dico autem datur, vel offertur, quia in occasionibus iam existentibus & præsentibus, actu etiam & in præsentia datur: pro futuris autem offertur, quantum est ex parte Dei. Quod in usu, seu praxi, ut ita dicam, sic potest explicari. Nam postquam homo iustificatus est, non perdit iustitiam nisi peccando mortaliter contra aliquod præceptum, unde quando non occurrit præceptum affirmativum pro tunc obligans, nec moralis occasio peccandi, contra Præceptum negativum, facile potest iustus necessaria ad perseverandum tunc facere per gratiam, quam habet, cum primum autem occurrit occasio servandi præceptum, vel peccandi mortaliter: tunc pro illo definito tempore, non deest illi auxilium internum sufficiens ad bene operandum, vel declaratum est, & ita nunc illo actu datur auxilium præueniens, seu excitans sufficiens. Aut ergo homo non vritur bene illo auxilio sufficiente, vel abutitur illo, vel cooperatur illi. In priori casu amittit gratiam, & definit esse iustus, ei quæ imputatur casus & perseverantia amissio, & non Deo, quia iam habuit auxilium sufficiens à Deo. Postquam verò iam est iniustus, privatur quidem propriis iustorum auxiliis, quæ sine dubio maiora sunt: quomodo autem postea recipiat auxilium sufficiens, ad questionem capitis sequentis pertinet. Si autem talis iustus in illa prima occasione bene usus fuerit illo auxilio diuino, offertur illi auxilium sufficiens: & fortè vberius pro altera occasione proximè succedente, & illa oblata datur ei auxilium sufficiens accommodatum illi, & ita consequenter de reliquis usque ad finem vitæ: unde fit, ut quando per hominem iustum non steterit, nunquam illi desit auxilium sufficiens ad conservandam gratiam, & consequenter ad æternam salutem consequendam.

Solutur difficultas in principio posita.

Reprobi non accipiunt perseverantiam, sed potestatem perseverandi.

Ad difficultatem in principio positam patet solutio ex dictis. Nam aliud est accipere actuale perseverantiam, aliud accipere potestatem perseverandi, seu, quod idem est, auxilium sufficiens ad perseverandum. Nam illud prius pertinet ad gratiam efficacem propriam prædestinationem, hoc verò posterius pertinet ad gratiam sufficientem communem omnibus, & ideo licet isti reprobi non accipiant perseverantiam, accipiunt nihilominus perseverandi potestatem. Et quod non recipiant actum perseverandi, non est ex Deo, sed ex ipsis, neque ideo non perseverant, quia reprobi sunt, sed non perseverando sunt reprobi, ut rectè Prosper docet supra, & Fulgentius ferè toto illo lib. 2. ad Monim. Quomodo autem non obstante perseverantia sit speciale donum, & in quo consistat, inferius suo loco tractabitur.

CAPVT X.

An & quomodo fidelibus peccatoribus semper dum vivunt, gratia sufficiens tribuatur, qua converti & iustificari possint.

Regula generalis est, fidelibus in peccato existentibus non negari auxilium sufficiens, quo penitentiam fructuosam agere possint, & per gratiam in gratiam redire. Hæc regula satis probata videtur ex generali principio in cap. 8. demonstrato, propriè verò & in specie sumitur ex omnibus illis Scripturæ locis in quibus peccatores, præsertim Deum agnoscentes & in eum credentes, ad penitentiam vocantur, ut est illud Ezechiel 33. Fili hominis, dic ad domum Israël, & infra, Vno ego duxi te Dominus Deus, nolo mortem impij, sed ut convertatur a via sua, & vivat. Aut ergo illa voluntas Dei est absoluta, & dat auxilium efficax, aut est conditionata, seu antecedens, & dat saltem auxilium sufficiens. Unde illud 2. Petr. 33. Patienter agit Deus propter vos, ne aliquem perire, sed omnes ad penitentiam reuerii; & illud Pauli Rom. 2. Ignoras, quia benignitas Dei ad penitentiam te adduxit, & consonat illud Ierem. 3. Tu formatus es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. Non enim illam ad reversionem invitaret, nisi paratus esset ad eandem reversionem illam iuvare, similique sunt infinita vulgaria loca, ut Zachar. 4. Convertimini ad me. Ecclesiast. 5. Ne tardes converti ad Dominum, & Psalm. 49. Hodie si vocem eius audieris, quod allegans & locupletans Paulus ad Hebr. 3. ait, Videte fratres, ne forte sit in aliquo vestrum cor malum incredulitatis discedendi à Deo vivo: sed adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati, ubi dicens, donec hodie, videtur intelligere quando præsens tempus, & vita durat, ut Chrysostomus & alij exponunt.

Veritatem etiam hanc confirmat Concil. Trid. in sess. 6. & 14. nam licet expressè non utatur signo distributio, dicens omnibus peccatoribus dari hoc auxilium, tamen cum indefinitè & sine limitatione generalem doctrinam tradat, eamque confirmat allegatis Scripturæ locis, sine ulla dubitatione illam generaliter intelligit. Dicit ergo in sess. 6. cap. 14. Qui ab accepta iustificationis gratia, per peccatum exciderunt, rursus iustificari, poterunt. & can. 29. anathemate damnat, qui dixerit, eum, qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere. Et sess. 14. cap. 1. Quoniam (inquit) Deus diues in misericordia, cognovit signum nostrum, illis etiam vita remedium consulit, qui sese postea (id est, post iustificationem) in peccati servitutem, & demonis potestatem tradidissent, utique remedium penitentiae, de quo statim subdit, licet non semper fuerit Sacramentum, fuisse tamen vniuersis hominibus, qui se reportati aliquo peccato inquinassent, quousque tempore ad gratiam, & iustitiam assequendam necessarium. & infra id confirmat verbis Ezech. 18. Convertimini, & agite penitentiam, &c. quæ verba ad omnes peccatores dicta intelliguntur. Patres etiam, qui vniuersaliter de omnibus hominibus lapsis loquuntur, ut cap. sequenti videbimus: à fortiori fideles peccatores comprehendunt, & specialiter hoc ex professo probat Cyprianus in lib. de lapsis. Rationes etiam cap. 9. allatæ ex voluntate Dei salvandi homines, & ex Christi redemptione, & ex Dei misericordia & iustitia hanc regulam probant.